

Quae omnia, comparatis inter se porro, hinc *Synagogae Eleemosynarum collectione*, *precibus*, **תְּכִנִּים** *ministris*, *servis*, **שְׁלֵיחַ הַצּוֹרָר** **פְּרֶנְסִים** *pastoribus*, *Interpretibus* & *Prophetis*, *Synagogae Angelis*, **פְּקֻדִּים** *visitatoribus*, **זְקִנִּים** *Senioribus*; Hinc vero, *Christianorum λογίους*, i. Cor. XVI. 2. *oratione dominica*, ὑπηρέταις, *Diaconis*, *Pastoribus*, Eph. IV. II. *Prophetantibus* & *lingvas interpretantibus*, i. Cor. XIV. I. seqq. *Rectoribus Ecclesiarum* & *Angelis Apocalypticis*, ἐπισκόποις, πρεσβυτέροις, ST. le MOINE fusius congesit. *Var. sacr. l.c.*

## XI.

Publice sic itaque ac privatum in Academiis docendo, roborant veluti Doctores, in audientium animis legem, quod quondam in יִבְנָה factum, praedicat Beniaminis Itinerarium. DOMVS SCHOLAE videlicet tum JAFNE audiebat, ac primus ibidem Rector, RABBAN JOCHANAN, Zachaei filius, sub insigni adducitur elogio, *quod ibi sepes legi fecerit*, i. e. *doctrina* & *legibus vivendi*, *verbum DEI confirmaverit* & *propagaverit*. BVXTORF. Tiberias, c. V. p. 5. MENSAM plane hic DEI venerantur alii, ubi docentium in Academiis cum discentibus svavissimum obseruant congressum; Ita namque Judaei in PIRKE ABOT c. III. *Tres, qui cibum capiunt in una mensa, & conferunt in ea verba legis, perinde est, ac si comedissent de MENSA IPSIUS DEI, sicut dicitur (Ez. XL.) & locutus est ad me, haec est MENSA, quae est ante DOMINVM.* STEPH. le MOINE, in *Var. Sacr. P. II. p. 47.* Cum dapibus refici regiis, atque de summorum mensis accipere cupedias, honor aliis habeatur maximus, sponte assequitur quisque, non minori in pretio habendum esse discentibus, in praestantissimis sapientiae, quae desuper data est, capitibus, a Doctoribus in Academia publicis solide erudiri. Illud apud Persas in primis